



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Controversia IV. De vnione inter materiam & formam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

timam esse censio: Hæc entitas non dependet à causa materiali per verum influxum: ergo creatur.

8 Audiui recentiores qui Lessij sententiam defendebant, subiecti in terminum productum, neque veram, & propriam causalitatem, non tamen sufficere quancumque dependentiam, sed dependentiam ab aliquo tanquam à subiecto, & causâ materiali licet improprie causâ, & hæc ratione posse creari modum vnionis, quia licet non possit non dependere à materia, quam vnit, potest non dependere ab illa tanquam à subiecto: eademque ratione creati animi rationalem, etsi in primo instanti creationis dependeat à materia, sine qua non produceretur, quia non dependet ab illa tanquam à subiecto, & à causâ materiali: Contra: dependentia, quam tu assignas generationis modi vnionis tanquam à subiecto tantum dicit, non posse esse illam actionem, quam tu vocas generationem sine subiecto, sed idem habebit quancumque alia actio, quam creationem eiusdem vnionis appelles: ergo creatio & generatio vnionis ex nullo capite poterunt differre, si enim dicas generationem modi vnionis dependere à materia tanquam à vera causâ, & creationem modi vnionis tantum dependere à materia, quatenus illius terminus est modus talis materiæ: Virgeo: terminum genitum dependere ab hac entitate tanquam à subiecto, & causâ materiali, in tua sententia nullam dicit causalitatem inter subiectum, & terminum productum, sed tantum hunc non posse sine illo, sed hoc est commune omni dependentiæ: ergo non potest explicari seclusâ verâ dependentiâ, quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto, seu à causâ materiali modo requirito ad generationem, neque potest mente concipi quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto materiali, & quid dependere ab eadem entitate, non tanquam à causâ materiali, si dependentiam effectus à causâ materiali non constituimus in vero influxu, & propriissima causalitate.

9 Venio ad sententiam recentiorum asserentium probari non posse formas materiales educi ex materia, & non creari. Certum est apud omnes formas materiales dependere à materia, quod prædicti recentiores admittunt, & probo ex differentia inter animam rationalem, & reliquas formas viuientium, hæ enim sunt corruptibiles, illa verò incorruptibilis, & æternasi verò formæ materiales à materia non dependerent, etiamsi à subiecto expellerentur: permanerent separata: sicut permansit rationalis anima, sed eo ipso quod expellantur corumpuntur: ergo dependebant à subiecto. Minorem probo. Si formæ materiales absque subiecto conseruarentur, producerent suas passiones, & plures effectus, quos sensibus possemus percipere, videlicet calorem, & lucem: sed hæc accidentia non producantur nisi quando forma est in subiecto, ergo non conseruantur extra illud. Neque potest dici formam ignis separatam à subiecto non posse producere calorem, & lucem, quia si secundum suum esse non dependeret à subiecto, neque secundum suas operationes dependeret, sicut anima rationalis, quæ intelligit, & discit, & producit suas passiones, seu conseruat suas passiones in statu separationis. Ex hac dependentia, quam habent formæ materiales à subiecto, infero ego esse dependentiam tanquam à vera causâ materiali per veram generationem. Negant consequentiam recentiores asserentes hanc dependentiam non esse tanquam à vera causâ, sed tanquam à conditione: Contra quos sic insurgo: Forma materialis dependet à materia non à posteriori, non tanquam modus à re, non tanquam à conditione: ergo tanquam à vera causâ: non dependere à posteriori tanquam ab effectu patet, quia materia non est effectus formæ; non dependere tanquam modus à re certum est, quia forma saltem de potentia Dei absoluta potest separari à materia: non dependere tanquam à conditione sic probo. Materia prima non est conditio disponens ad existentiam formæ, vt patet, non est conditio disponens ad passum, quia approximatio est præsentia distincta à materiâ; deinde, quia in his, in quibus requiritur approximatio, aliunde supponitur dependentia, neque modus alicuius conditionis apparet, quem possit exhibere materia in productione formæ materialis: ergo non dependet forma materialis à subiecto, tanquam à conditione: ergo non restat alia dependentia, quam habeat talis forma à subiecto, nisi dependentia effectus à causâ per veram causalitatem.

10 Dices formas materiales dependere à materia eo modo quo de facto materia dependet in conseruari à forma, si-

ne qua naturaliter existere non potest. Præclufi hoc effugium Controverf. 2. Punct. 7. vbi probavi materiam primam non dependere à forma adhuc à posteriori. Respondeo tamen in gratiam communis sententiæ materiam primam dependere à forma à posteriori tanquam ab effectu, & tanquam potentia ab actu, & perfectibile à perficienti, quam dependentiam non potest habere forma à materia, quia materia non est effectus formæ, neque est de ratione actus informantis dependere à potentia, neque huiusmodi perfectionis dependere à perfectibili, vt patet in animo rationali, quia est actus materiæ, illiusque perfectio, & tamen à materia non dependet.

11 Assero cum communis sententia rectè concludi ex dependentia formarum materialium tanquam à materia dependere ab hac tanquam à causâ materiali, quia non inuenitur aliud genus causæ, neque alius modus dependendi, quo possit dependere. Quod si cum Recentioribus putas posse inueniri aliam dependentiam à subiecto, non tanquam à vera causâ, quam censet Arriaga sufficere ad generationem, & hi recentiores non sufficere, sed rectè cum creatione componi, assigna, quæ sit huius dependentiæ natura, atque conditio, quod si nullus talem hunc vsque modum agnouit, præter hos paucos, qui illum defendendum suscepere, neque libido illum defendendi, non solum illius naturam nondum est assequuta, verum etiam neque illi nomen inuenit, cur dicendum est formas materiales dependere à subiecto, & non aliquo modo ex his, quos huc vsque Philosophia nouit, & recurrendum ad hunc modum incongnitum, absque vlla ratione, & fundamento? Adde hunc dicendi modum non adeo consonum esse ad defendendam animi rationalis immortalitatem, quia si semel conceditur formas materiales creari, & esse corruptibiles, saltem destruius fundamentum desumptum ex creatione animæ ad illius immortalitatem inferendam, & nonnulla aperitur via, vt quis ex immortalitate animæ rationalis intendat probare reliquas brutorum animas esse immortales, quia creantur sicuti rationalis animæ, vel vt ex natura corruptibili reliquarum formarum materialium non obstat creatione ipsarum inferat aliquis, animam rationalem esse corruptibilem, quæ illationes etiamsi bonæ non sint nonnullas habent speciem, quapropter vt illas fugiamus consultius nobis est asserere tanquam certum omnes formas materiales generari, & dependere à materia tanquam à vera causâ, & vnâ animam rationalem creari, & esse omnino independentem à subiecto quod informat.

12 Obiicies fieri non posse materiam primam adeo imperfectam in se eminenter continere, tanquam in vera causâ formas omnes materiales, longè perfectiores illâ: ergo non possunt ab illa tanquam à vera causâ dependere. Antecedens probatur: principium effectiui adæquatium debet esse saltem æquè perfectum cum effectu: ergo principium passionum, si verè, & proprie principium esset, deberet eandem perfectionis proportionem seruare cum effectu. Hoc argumentum æquè fauet sententiæ in quam propendet Arriaga & sententiæ recentiorum, quam retuli, vtraque enim negat subiecto veram causalitatem respectu formarum, licet sententia, cui patrocinatur Arriaga asserat deficiente verâ causalitate ex parte materiæ in formas, has verè generari ratione dependentiæ improprie, & recentiorum sententia sine propria dependentia generationem non agnoscat, & consequenter dicat, formas materiales dependentes à materia non per veram causalitatem propriæ causæ, non generari, sed creari. Respondeo negando primum antecedens. Ad confirmationem dico principium effectuum debere habere æqualem perfectionem cum effectu, passionum verò non debere hanc perfectionem æqualitatem retinere. Ratio disparitatis inter vtrumque sumenda est ex diverso modo, quem habent hæc principia influendi in effectus, actuum enim longè excellentiori modo influit quam passionum. hoc enim tantum influit recipiendo effectum, ab illo autem totus exit effectus.

CONTROVERSIA IV.

De vnione inter materiam, & formam.

Ad perfectam cognitionem extremorum cognitionis inter ipsa media, quæ totum constituunt, maxime spectat, quæ se tenet ex parte vtriusque

utriusque principij materiæ videlicet, & formæ, & principium, ut quo dicitur respectu materiæ, quæ est principium *ut quod*, quatenus se tenet ex parte illius, & similiter quatenus se tenet ex parte formæ dicitur principium *ut quo* constituens formam principium in actu secundo.

PUNCTUM PRIMVM.

Quid sit unio compositi substantialis.

ET si præcipue de vnione compositi substantialis disputatio instituat, quia eadem est de aliis totis doctrina, de illorum vnionibus nonnihil dicam.

§. I.

Doctorem placita.

1. **P**rimam sententiam defendunt Gregor. Arim. in 3. dist. 18. quæst. 2. ad 18. Maior ibid. dist. 1. quæst. art. 1. Caiet. 1. part. quæst. 2. art. 1. Medina ibid. Bacon. in 3. distinct. 1. q. 1. art. 1. & quæst. 2. art. 2. asserentes vnionem non esse entitatem distinctam à materiæ, & formæ, & tantum dicere applicationem localem tanquam conditionem. Ab his differre videtur Gabr. (cuius est secunda sententia) in 1. dist. 30. quæst. 4. conclus. 5. qui asserit vnionem extremorum nihil aliud esse, quam intimam extremorum præsentiam, & hanc præsentiam ait Gabr. esse similitudinem in eodem loco sue definitiue, sue circumscriptiue. Differt Gabr. à Gregorio, & aliis quia illi approximationem, tantum requirebant ut conditionem, ut extrema per se ipsa formaliter vnirentur. Gabr. verò eandem approximationem rationem formalem vniendi esse contendit.
2. Tertia sententia, quam tenet Aureolus apud Capr. in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2. asserit vnionem inter extrema non esse aliquid posituum, sed negationem diuisionis. Quarta sententia vnionem constituit in dependentia materiæ à formæ, hanc defendunt Scot. in 3. quæst. 1. Bassol. ibid. Ocham in 3. dist. 3. quæst. 4. & in 3. quæst. 1. supra hanc dependentiam, quæ est formalis ratio vniendi requirunt Doctores huius sententiæ indistantiam extremorum ut conditionem ut vniantur. An verò hæc dependentia distinguenda sit ab extremis, vel identitate cum illis retineat, ad præsentem quæstionem non spectat, specialem disputationem alibi sibi vendicat hæc difficultas, vnum tantum ex his doctoribus modo scire oportet, ipsos nempe vnionem extremorum constituisse in dependentia formæ à materiæ cuiuscumque naturæ sit hæc dependentia quam examinabo lib 3. Controuer. 12. Punct. 1.
3. Quinta sententia tenet vnionem esse modum quemdam substantialem modaliter distinctum à materiæ, & formæ, realiterque distinctum ab approximatione, extremorum & à dependentia formæ à materiæ. Ita P. Vazquez t. 1. in 3. partem disp. 18. cap. 3. & disp. 19. num. 23. Pater Soar. disp. 15. Metaph. sect. 6. à num. 6. vsque ad 10. & tit. 1. in 3. p. disp. 8. sectione 3. concl. 3. Rub. tract. 4. de forma, quæst. 6. num. 57. Hurt. disp. 5. sect. 1. num. 6. Ariag. disput. 4. sect. 1. & ferè omnes moderni pluresque ex antiquis apud Soar. supra. Hanc opinionem amplector quam nonnullis conclusionibus explicabo, & simul sententias supra relatas refellam. Alij dicendi modi, quos recentes excogitarunt ad negandum substantialem vnionem, ad has sententias reduci possunt, quos inter illas explicandas & impugnandas explicabo, & impugnabo.

§. II.

Duplici conclusione propria sententia duplicem sententiam explodo.

4. **P**RIMA CONCLUSIO. Vnio inter materiæ & formam distinguitur ab ipsa materiæ, & forma ut aliquid superadditum non solum tanquam conditio, sed tanquam ratio formalis. Hæc conclusio directè impugnat primam sententiam, quam sic probo. Possunt existere materiæ & forma absque vnione: ergo vnio aliquid est distinctum à materiæ & formæ: Antecedens patet in morte hominis,

admittiturque ab omnibus aduersariis: consequentia est legitima iuxta illud principium firmum in Philosophia, *Illa que realiter separantur, realiter distinguuntur*: ergo separatio vnionis à materiæ, & formæ infert necessariò distinctionem. Dices materiæ, & formam posse existere absque eo quod vniantur ex defectu conditionis, approximationis videlicet, quæ posita non poterunt non vniri. Contrà: do ad conclusionem, de quâ modò ago, materiæ, & formam, quæ possunt existere non vnite, vniri necessariò posita approximatione, & sic argumentor. Approximatio tunc non se haberet ut conditio, ut existeret vnio identificata cum materiæ & formæ: ergo esset conditio ut existeret alia vnio distincta à materiæ, & forma vel ipsa esset formaliter vnio. Antecedens probo: vnio identificata cum materiæ, & forma nihil aliud est, quam materiæ & forma: sed approximatio non est conditio ut existant materiæ, & forma: ergo non est conditio ut existat vnio identificata cum materiæ & formæ: Probo consequentiam: quicquid est conditio ad hoc ut aliquid physicè existat, est conditio ad hoc ut existat illud, quod physicè indiuisibiliter identificatur cum illo: ergo si approximatio esset conditio, ut existeret vnio identificata indiuisibiliter cum materiæ, & forma, esset conditio, ut existeret materiæ & forma: sed non est conditio ut existat materiæ & formæ: quia absque approximatione possunt existere: ergo non est conditio ut existat vnio identificata cum materiæ, & formæ.

Dices, approximationem esse conditionem ut materiæ, & forma existant vnite, etiam si non sit conditio necessaria, ut existant materiæ, & forma, secundum se. Contrà: materiæ & formam vnitas existere, vel dicit aliquid supra existentiam vtriusque entitatis, vel tantum dicit vtramque existentem: Si dicit aliquid distinctum: ergo vnio distinguitur à materiæ, & formæ: si nihil distinctum dicit, materiæ & formam existere, est materiæ & formam vnitas existere: ergo quod est conditio ut materiæ & forma existant, erit conditio, ut existant vnite, & quod non est conditio, ut existant, non erit conditio, ut existant vnite. Dices materiæ & formam vnitas dicere supra materiæ, & formam approximationem tanquam conditionem. Contrà: conditio distinguitur realiter à ratione formali ad quam est conditio: ergo approximatio, si tantum se habet ut conditio respectu vnionis, ratio formalis huius debet distingui ab approximatione. De illa ratione formali ut distincta ab approximatione, à qua tanquam à conditione ad sui existentiam distinguitur, inquiri an dicat aliquid præter materiæ, & formam, vel non: si dicit aliquid: ergo vnio distinguitur à materiæ & formæ: si tantum dicit materiæ, & formam, tota ratio formalis vnionis, ut distincta à conditione, quæ illius rationem formalem non ingreditur, sita est in nudis entitatibus materiæ, & formæ: ergo existente materiæ, & forma existit ratio formalis vnionis, secluso quocumque alio. Ex hoc duo infero: primum, approximationem non esse conditionem ad rationem formalem vnionis, siquidem non est conditio ad existentias materiæ, & formæ secundum se, in quibus tota ratio formalis vnionis, quæ ab approximatione distingui debet, in opinione, quæ approximationem conditionem ad vnionem appellat, necessariò est constituenda. Secundo infero posita existentia materiæ, & existentia formæ non posse non esse vnitas, quia implicat existere rationem formalem vnionis, & extrema non esse vnitas vnio enim essentialiter est nexus actualis, & exercitium vniendi duo extrema, quorum est vnio. Vtraque consequentia est legitima: primum consequens est contra primam sententiam, cui dixi directè opponi meam conclusionem: secundum, contra omnium consensum, & veritatem Catholicam, quæ credimus, mortuo homine animam non vnitam incorruptam permanere, & Christo mortuo illius materiæ in sepulchro iacuisse, animamque descendisse ad inferos, vnionemque inrer vtramque partem perisse.

Dices approximationem non esse conditionem, ut existat secundum entitatem vnio identificata cum materiæ, & formæ, ut probat ratio à nobis facta, sed ut existat secundum formalitatem, hoc est, ut actu exerceat officium vnionis, quia eadem vnio, quæ physicè existit quando materiæ & forma approximationem non habent, & non actu vnit, quia non existit secundum formalitatem vnionis ex defectu conditionis, incipit esse secundum illam formalitatem vnionis posita approximatione tanquam conditione, cum

cumque tunc incipiat existere, non physicè, & secundum entitatem, sed secundum formalitatem, tunc primò incipit exercere officium vnionis, & annexere actu, quod antea non præstabat. Rem explicat exemplo cognitionis diuinæ, quæ cognoscit obiectum contingens; illa cognitio si obiectum deficeret tota existeret secundum entitatem, quia est intrinseca Deo, & nihil Dei intrinsecum physicè deficere potuit, si tamen obiectum quod antecedenter potuit non esse, non fuisset, cognitio illa non existeret secundum formalitatem, neque Deum constitueret cognoscentem, & iudicantem existere tale obiectum, præcisè ex defectu obiecti, quod non pertinet ad rationem formalem constitutiuam cognitionis diuinæ, sed tantum se habet ut conditio respectu illius.

Hunc dicendi modum apprehendunt plures, qui connotatores vulgo dici solent, quia per hæc & extrinseca connotata rerum formalitates explicant, asseruntque hoc connotato posito (idem connotatum sonat atque conditio, etiam connotatum non solum vices conditionis, sed obiecti gerat aliquando) intrinsecè & formaliter habere aliquam formalitatem, quam sine tali connotato tantum habebat physicè, & materialiter. Hæc doctrina multum cursum nostrum retardaret, si quoties occurreret, illam ex professo impugnandum susciperemus, est enim frequens apud plures in tota Philosophia, quapropter semel illam radicis impugno in Metaph. Controv. l. 9. Punct. 4. de relat. disputans, ubi plura contra hunc dicendi modum inuenies: modò summis labris rationem quamdam attingam, ut illam loco citato recognoscas. Vnio secundum suam physicam entitatem, & secundum formalitatem seu actuale exercitium vnendi, à parte rei seclusa fictione intellectus non distinguitur à materia, & forma, sed existente materia, & forma secundum sententiam, quam impugno, & secluso quocumque alio est vnio secundum entitatem physicam: ergo est formaliter tota formalitas, quam sine intellectus fictione habere potest, & est secundum actuale exercitium vnendi.

SECUNDA CONCLUSIO. Vnio non consistit formaliter in approximatione seu intima præsentia inter materiam & formam. Hæc conclusio est contra sententiam, quam defendit Gabriel, pro qua sic arguuntur. Approximatio localis nihil aliud est quam præsentia vtriusque extremi: sed quociescumque mouetur homo corrumpitur præsentia materie, & forme, & alia acquiruntur: ergo quociescūq; mouetur homo corrumpitur vnio, quæ antea erat, & producit alia vnio, & tot vniones producuntur, & corrumpuntur in motu locali, quot producuntur & corrumpuntur præsentia: ergo ex vi motus localis producit vnio inter materiam & formam, & consequenter producit homo, & principium efficiens motus localis hominis verè est principium hominis, & verè hominem producit, sicuti illum produxit principium generans, quod ex vi generationis non produxit materiam, neque formam, sed tantum vnionis modum, quo posito resultat homo ex materia, & forma: ergo principium mouens localiter hominem, quod similem vnionem producit, si hæc in approximatione consistit, dicitur principium producens hominem; & principium destruens approximationem, quam antea habebat, dicitur principium destruens hominem, quia nullo alio modo dicimus hominem corrumpi ab aliqua causâ naturali, nisi quatenus hæc illius modum vnionis corrumpit. Ex quo inferetur principium mouens localiter hominem, esse principium destruens hominem, quatenus destruit modum vnionis, qui in approximatione destructa à motore constituitur, & alium hominem producens quatenus producit aliam vnionem, seu aliam approximationem inter eandem materiam & formam.

Secundò, si vnio in approximatione consisteret, sequeretur formam vnâ substantialem non expellere aliam, quod sic probò. Formæ substantiales inter se possunt penetrari, & illarum penetratio cum alio tertio tantum repugnat ratione quantitatis, sed diuersæ formæ in eadem materia non secum afferrent diuersas quantitates: ergo non repugnat penetratio formarum inter se, & cum eadem materia neque ratione ipsarum formarum, neque ratione diuersarum quantitarum, quas secum afferant: ergo ex nullo capite repugnat penetrare duplicem formam in eadem materia: ergo vna forma non expellit aliam à subiecto per informationem, neque est impossibile cum alia, si informatio consistit tantum in approxi-

matione inter materiam, & formam. Consequens admitti non potest: ergo antecedens non subsistit.

Tertio anima Christi fuit penetrata cum materia Sanctissimæ genitricis, cum ex illa illæ virginis claustrum fuit natus, & tamen anima Christi non fuit vnita materia primæ Virginis: ergo vnio non consistit in approximatione intima seu in penetratione inter materiam & formam.

Propter hæc argumenta nonnulli hanc approximationem aliter explicant dicentes, vnionem non consistere in approximatione locali tantum, sed in approximatione secundum virtutem, quæ potest deficere etiam si sint penetratæ localiter materia, & forma, & ita possunt habere hanc penetrationem localem sine vnione. Contra hanc approximationem secundum virtutem, argumentum sæpè factum, adhuc integrum iterum repeto. Approximatio secundum virtutem distincta à præsentia locali, vel dicit aliquid distinctum à materia, & forma, vel tantum dicit entitatem vtriusque, si dicit aliquid distinctum, iam constituitur vnio realiter distincta à materia, & forma, & intima præsentia locali; si nihil dicit distinctum à materia, & forma, & intima præsentia locali, implicat esse materiam & formam intimè præsentem, seu penetratas sine hac approximatione secundum virtutem: ergo non potest dari forma penetrata alicui materie, quæ non habeat hanc approximationem secundum virtutem; & quæ non sit vnita tali materie. Respondent approximationem secundum virtutem non distinguere à forma prout in materia, vel à forma quatenus in materia, licet distinguatur à forma secundum se. Hos omnes dicendi modos euerter prædictum argumentum, redeat iterum. Forma vt in materia, vel dicit aliquid distinctum à materia, forma, & penetratione locali, vel non: Si dicit aliquid distinctum, dicit vnionem superadditam, quam ego propugno; si nihil dicit distinctum, nihil dicit dum ad hos vanos dicendi modos confugis.

Vt aliquo modo declinarent vim argumenti supra facti, dixere recentiores, applicationem localem non esse approximationem secundum virtutem, neque actu vnire extrema deficientibus dispositionibus requisitis ad formam. Solutio hæc potest dispositiones exigere tanquam conditionem, vt materia & forma vniantur, vel vt aliquid tale in adæquatè pertinens ad vnionem, quam potest constitutur in approximatione locali, & in dispositionibus in materia existentibus. Si primum dicat, sustinebit eandem impugnationem quam adhibui n. 4. & sequenti contra primam sententiam, quæ approximationem inter materiam & formam dicebat esse conditionem, & non rationem formalem, vt materia, & forma immediatè vnirentur. Quam iterum breuiter attingo. Si dispositiones tantum sunt conditio: ergo adæquatè distinguuntur à ratione formali vnionis: ergo vnio, quæ requirit dispositiones tanquam conditionem, consistit adæquatè in approximatione, vel in alio adæquatè distincto à dispositionibus: ergo illo posito etiam si dispositiones non existerent, erit ratio formalis vnionis, & extrema erunt formaliter vnita: ergo si semel materia, & forma sint intimè præsentem etiam si deficient dispositiones erunt vnite, quia ex defectu conditionis non possunt extrema non esse vnita, si permanet tota ratio formalis vnionis. Si dicas deficientibus dispositionibus deficere rationem formalem vnionis, assigna rationem hanc, quæ deficit posita penetratione inter materiam & formam, & entitatem superadditam, quam quærimus, nobis ostendes.

Alio modo dici posset dispositiones ipsas pertinere ad rationem formalem vnionis; quod multis impugnatur: Potest forma esse vnita materie deficientibus dispositionibus: ergo dispositiones neque in adæquatè pertinent ad rationem formalem vnionis. Secundò, positis his dispositionibus in materia ad formam hominis, materia est æquè disposita ad hanc, vel illam formam, & Deus libere hanc vel illam animam rationalem illi infundit ex pluribus, quas potest creare: ergo materia prima Virginis præcisè ex vi dispositionum indifferens est, vt illi vniantur anima quæ de facto fuit vnita materie Christi: ergo quando penetrata fuit materia prima Beatissimæ Virginis cum anima sanctissima Christi Domini habuit totam rationem formalem vnionis cum ipsa, quia habuit dispositiones ex se æquè respicientes propriam animam, & animam Christi, & æquè erat vtrique penetrata: ergo æquè erat vtrique vnita.

vnita. Idem dico de materia prima Christi respectu formæ Sanctissimæ Virginis. Audui recentiore respondentem, materiam primam Virginis tunc non vniri animæ Christi quia iam erat propriæ vnita. Contrâ materiam primam Virginis esse vnitam propriæ animæ, & hanc animam esse propriam illius, nihil aliud est quàm materiam primam habere dispositiones ad hanc animam, & esse illi intimè præsentem, sed idem habet respectu animæ Christi ergo eodem modo illi erit vnita tanquam propriæ animæ. Omitto contra hanc sententiam constituere vnionem totius compositi substantialis in quodam aggregato accidentium, præsentia enim intima, seu penetratio inter materiam & formam, consistit in duplici præsentia accidentali realiter distinctâ, & si his dispositiones adiunguntur ad vnionem constituendam, dicit vnio quatuor primas qualitates, quantitatem, & alia accidentia.

§. III.

Duplicem aliam sententiam refello duplici conelusione propria sententia, illamque penitus expono.

14 **TERTIA CONCLUSIO.** Vnio non potest consistere in aliquo non positiuo, quod sit negatio diuisionis. Hæc conelusio contradicit opinioni Aureoli quam retuli n. 2. & probatu facillima est. Diuisio est carentia vnionis positivæ: ergo non diuisio, seu negatio diuisionis est ipsa vnio positiva, probo consequentiam: diuisio & vnio positiva mutuo opponuntur sicut effectus diuisio est non esse vnionis positivæ: ergo ipsa positiva vnio est non esse diuisionis: ergo vnio, quæ consistit in negatione diuisionis debet in aliquo positiuo consistere. Ex quo inferes rectè docuisse Aureolum vnionem consistere in negatione diuisionis, postea terminos implicasse, dum dixit negationem vnionis non esse aliquid positiuum. Adde non rectè explicari vnionem per negationem diuisionis cum per positiuos terminos possit clariùs explicari, per illam enim negationem, res potius confunditur, quàm explicatur.

15 **QUARTA CONCLUSIO.** Vnio distinguitur realiter ab educatione. Hæc conelusio impugnatur opinione Ochami relatum n. 2. illam multis propugnat Hurtad. loco cit. n. 3. videamus quanta vi. Arguit primò: Vnio animæ rationalis non identificatur cum aliqua actione: ergo neque vnio reliquorum compositorum. Non tenet illatio, quia animæ rationalis creatio essentialiter distinguitur ab educatione aliarum formarum, & per illam non inheret forma materiæ, neque ex vi illius aliquam connexionem habet cum materia, sed sine illa potest naturaliter existeret, forma verò materialis ex vi educationis materiæ inheret, & sine illa formaliter, vt educa adhuc de potentia Dei absoluta existeret non potest, vnde longum est discrimen inter actionem creatiuam, & educationem, ratione cuius ex distinctione creationis ab vnione non potest inferri distinctio inter educationem, & vnionem. Arguit rursum Hurtadus: Generatio terminatur ad vnionem, quia generatio aliquid producit vt quo, ratione cuius compositum producat vt quod: ergo distinguitur ab ipsa vnione, sicut actio à termino. Deinde vnio dependet à materia per generationem, quia generatio est passio, passio autem est causalitas materiæ, vnio verò non est causalitas, sed ipsa causatur. Hoc probat Hurtadus, quia in homine nihil potest causari per vnionem, sed ipsa causatur. Hæc omnia facit ab Hurtado dicuntur, & facilius possunt reici ab aduersariis: qui enim asserunt actionem productiuam formæ esse vnionem, negant generationem compositi, cuius forma educitur, terminari ad vnionem, & dicunt tantum terminari ad formam producendam, tanquam ad terminum constituentem vt quod compositum, & ipsam generationem ipsum vt quo constituere annectendo formam productam ex vi illius cum materia, quam supponit. Similiter negant vnionem pendere ab agente mediâ generatione, aut passione, sed immediatè per se ipsam, quæ est passio respectu formæ, non respectu vnionis secum identificatæ. Ad confirmationem respondeo in homine vnionem non esse causalitatem neque respectu formæ, neque respectu sui ipsius, sed terminum per causalitatem, scilicet per passionem productum, in equo verò & in aliis compositis materialibus, vnionem esse causalitatem secundum hanc sententiam respectu formæ, quæ est terminus productus ab agente, receptus in subiecto, & materiæ vnitus indiuisibiliter per eandem entitatem.

Arguit iterum, sequi ex eo quod vnio identificetur cum generatione terminari ad se ipsam, cum verò præiudicaret responderi posse, terminari ad formam, & non ad se ipsam, instat. Generatio non terminatur ad formam tantum, sed ad formam vt vnitam: ergo terminatur ad vnionem: ergo si non distinguitur ab vnione terminabitur ad se ipsam. Si negemus Hurtado generationem terminari ad formam, vt vnitam formaliter, & dicamus tantum terminari ad formam, quæ ex vi illius vnitur, sicut non terminatur ad formam, vt genitam, sed ad formam, quæ ex vi illius, generatur, difficile poterit antecedens assumptum probare. Rationem, quam ipse vocat à priori desumptam ex diuersis effectibus formalibus, & naturis vnionis, & productionis non maioris roboris est. Ait vnionem ex natura sua esse vinculum duorum extremorum, & generationem esse viam ad terminum, & causalitatem illius, quam ab illo distingui certum est. Respondeo vnionem esse vinculum duorum extremorum, & productionem esse viam ad terminum, & hæc duo identificari in educatione formæ, & productionem distingui à termino scilicet à forma non ab vnione, ad quam non terminatur, quia est eadem vnio, quæ non terminatur ad se ipsam.

17 Posset probari distinctio inter vnionem, & educationem, quia si vnio, & educio identificarentur, sequeretur diuersum esse totum in instanti generationis, in quo forma producit à causa secunda, & in reliquo tempore, quo conseruatur à causa prima, quia posito diuerso principio effectiuo actionem diuersam esse necesse est: ergo erit diuersa vnio formæ identificata cum actione, ex vi cuius producit, quotiescumque principium producat est diuersum, quæ diuersitas non solum erit numerica, sed specifica, cum principia conseruans, & producat formam, specie differant, & consequenter actiones, quæ à principiis speciem trahunt. Nec valet dicere totum esse idem, etsi vnio sit diuersa, quia retinet easdem partes essentielles: totum enim essentialiter includit vnionem tanquam quid pertinens ad illius essentialitatem, & vltimò illud constituens in ratione totius: ac proinde variatà vnione variatur aliquid essentialiter totius, & consequenter totum, implicat enim aliquid permanere cuius non tota permanet essentia, quia omne ens includit omnia illi essentialia, ita vt quocumque deficiente absolute deficiat. Inferitur similiter in instanti, in quo Deus primò conseruat formam productam à causa secunda in instanti, in quo primò totum genuit, non conseruari totum, sed primò produci: quia in illo instanti non est totum quod præcessit sed aliud incipit, vt probaui: ergo non conseruatur tunc totum, sed primò producit. Hæc quemque veritatis amicum conuincet: si quis tamen absurda hæc omnia deuoret, existimo præter exclamaciones, & admirationes (quæ semper ab ingenioso, & viro docto abesse debent) nihil aliud suppetere, quo possit hæc ratio maiorem vim recipere, quapropter transio ad aliam.

18 Actio quæ de facto substantialis forma producit, distinguitur ab ipsa forma producta, vt probabo Controuers. 12. Puncto 1. ergo est accidens. Probo consequentiam: Actio distincta à termino essentialiter est propter terminum, & ratione illius habet esse, & non intenditur à natura propter se, sed propter terminum: Non vt ipsa sit, sed vt sit terminus: id autem, quod non intenditur propter se, sed propter aliud essentialiter est accidens, & non substantia: vt in Metaph. exponens conceptum accidentis probabo. Hoc posito sic arguo: Actio, & passio, seu inherencia, dependentia, vel educio, quæ realiter non distinguuntur sunt accidens: ergo non possunt esse de essentia totius substantialis: Probo consequentiam: Totum substantiale, secundum totum id, quod dicit essentialiter, & secundum rationem totius completi primariò, & per se intenditur: ergo secundum totum id, quod includit essentialiter, & secundum rationem formalem totius est substantia: ergo secundum vnionem, quam essentialiter includit, & quæ totum substantiale constituit in ratione totius est substantia: ergo vnio debet esse substantia, & nun accidens: ergo distinguitur ab actione, quæ producit formam quæ non est substantia, sed accidens. Dicunt nonnulli modum vnionis pertinere ad essentiam compositi non in recto, sed in obliquo, & ita non est necessariò esse substantiam. Contrâ: esto, modum vnionis pertinere in obliquo pertineat, verè est id, per quod totum substantiale, siue constituitur in ratione totius substantialis per aliquod dictum in recto, vel connotatum in obliquo, debet constitui per aliquod substantiale.

stantiale, siue includat in recto illa, quæ ad suam essentiam constituendam spectant, siue in obliquo necessariò substantialia esse debent.

19 QUINTA CONCLUSIO. Entitas substantialis distincta à materia, & forma in qua dixi unionem consistere non est res, sed modus, est dicere non potest adhuc potentia Dei absoluta existere sine extremis, etiam si extrema possent esse sine illa. Probo: Si hæc entitas in qua unionem constituitur posset esse sine extremis unitis esset indifferens, ut vniretur, & non vniretur: ergo indigeret alio modo superaddito, quo vniretur: ergo danda est aliqua unio, quæ immediate sit per suammet entitatem fixa extremis: ergo danda est unio, quæ de potentia Dei absoluta non possit ab illis separari, quia quod per suammet entitatem, alicui est affixum, non potest non illi esse affixum, si cum sua entitate perseveret. Probo primam consequentiam: ideo damus unionem superadditam inter materiam, & formam, quia possunt existere quin uniantur: ergo si daremus unionem interiectam posse existere non uniendo, indigeret alio modo superaddito ut vniret. Secunda conclusio evidens est, quia si non daretur unio immediate per se extremis affixa, sed alià indigens unione, rursus illa unio alià indigeret, & sic in infinitum uniones procederent.

S. IV.

Argumenta soluta.

20 Argumenta, quæ contra nostram sententiam ex tanta opinionum diversitate adduci possunt, pauca sunt, & quæ nihil ferè difficultatis continent.

Obiicies primò. Modus unionis à nobis assignatus potest immediate vniri materiæ, & formæ nullo alio modo interiecto: ergo materia, & forma poterunt similiter immediate vniri nullo interiecto modo. Concedo antecedens, & distinguo consequens: Materia, & forma, quæ de facto existunt indifferentes ut uniantur, & ut non uniantur saltem de potentia Dei absoluta, nego consequentiam: materia & forma, quæ possent existere ex se determinate ad unionem actualem, ita ut adhuc de potentia Dei absoluta non possent existere quin actu vnirentur, concedo consequentiam. Rationem exhibeo: totum fundamentum, quod habemus ad ponendam unionem superadditam inter materiam & formam est, quia videmus posse existere saltem diuinà intercedente potentia, quin actu uniantur, ex quo inferimus non actu vniri per suammet entitates, quod si videremus materiam, & formam nunquam non vniri, & iudicaretur adhuc de potentia Dei absoluta non posse non actu vniri, nullum esset fundamentum ad unionem superadditam admittendam inter talem materiam, & formam. Neque modò admittenda est inter materiã, & modum unionis, quem assignamus pro materiã, & forma, quæ de facto existunt, quia talis unionis modus indifferentiam non habet, ut vniantur, & non vniantur, sed per suammet entitatem est affixus materiæ & formæ, ita ut neque de potentia Dei absoluta, ex suppositione, quod existeret posset non vniri talia extrema, & illis non esse unitum, eo modo, quo vnitur, non ut extremum, sed ut nexus annexens extrema, quod non est propriè vniri, sed esse rationem vnendi, neque unionis modus dicitur unitus, sed vnies, quod ad questionem non attinet: illo enim modo, quo vnitur propriè, vel impropiè, ut quò, vel quod, ut extremum, vel ut nexus, vnitur absque vlla indifferentia, & ita per suam entitatem, & non per aliquid superadditum. Adde necessum esse unionem non vniri medio alio, ne in infinitum procedatur, quod non requiritur inter materiam & formam.

21 Obiicies secundò. Materia & forma sunt partes immediate totius: ergo per se immediate illud componunt, & non medio alio modo unionis. Probo consequentiam, de ratione partis est componere: ergo de ratione partis immediate est componere. Concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo materia & forma per se immediate componunt totum, immediate partium, & immediate compositionem, concedo consequentiam: immediate compositionem, concedo consequentiam: immediate compositionem, concedo consequentiam: immediate compositionem, concedo consequentiam. Est dicere, componunt non mediã aliã parte, & non medio alio componente, concedo: componunt non mediã compositione, nego. Ad probationem consequentiæ respondeo, concedendo antecedens, & distinguendo consequens: de ratione partis immediate est non componere

mediã aliã parte, seu medio alio componente, concedo: mediã causalitate, seu mediã compositione, nego.

22 Obiicies tertio, Forma per inhesionem seu dependentiam, quam habet à materiã, est in materiã, est inseparabilis ab illa, inhaeret illi, est connexa cum illa: ergo non indiget alio modo unionis. Respondeo formam per dependentiam esse in materiã tanquam in subiecto inhesionis, non verò tanquam in subiecto informationis, cum quo vnum constituit, & esse inseparabilem localiter ab illa, illique inhaerere modo explicato, & esse connexam cum illa tanquam cum causã, à qua dependet ex vi dependentiæ, seu inhesionis, quibus omnibus positis adhuc forma non constituit vnum substantiale cum materiã, neque illi est unita, & illis permanentibus potest Deus unionem impedire ac proinde hæc est necessaria, ut ex vi illius forma sit unita materiæ, & totum sit constitutum.

S. V.

De unione aliorum totorum.

23 De toto integrali seruata proportione idem iudicium ferendum est, ac de toto essentiali: sicut enim partes essentielles indifferentes sunt, ut uniantur, & non uniantur, sic integrantes, quarum plurimis valde contingenter accidit unio, ut patet in unione duarum partium aquæ, ex qua indifferentia constat non vniri per se ipsas, sed per unionem superadditam. Hanc non esse dependentiam, quam habent partes à subiecto, certum est, quia duæ partes aquæ cum eadem dependentia ab eodem subiecto modo sunt unitæ, modò diuisæ, quia quando diuiditur aqua, non corrumpitur unio, quam partes formæ aquæ habebant cum subiecto: ergo non uniantur integraliter per dependentiam à subiecto. Deinde partes materiæ primæ, quæ nullam habent dependentiam à subiecto, integraliter sunt unitæ, & partes quantitatis eandem integram unionem retinent extra subiectum constitutæ in mysterio Eucharistiæ, quam habebant in subiecto: ergo unio integralis non constituit in partium à subiecto dependentia. Ponenda est talis unio in modis superadditis partibus unitis pertinentibus ad eandem speciem ad quam pertinent partes integraliter unitæ, siue substantiales, siue accidentales.

25 Maior est difficultas de aliis concretis accidentalibus, an videlicet includat unionem distinctam ab ipsa educatione formæ accidentalis; vel formæ accidentales, per quas constituuntur, uniantur subiectis præcisè per dependentiam, quam habent ab illis, ita ut inter albedinem, & subiectum, quod ex vi illius album constituitur, nulla intercedat unio præter inhaerentiam, seu dependentiam, quam habet albedo à subiecto. Ratio dubitandi rectè sumitur ex his, quæ de toto substantiali diximus, in quo tantum probauimus indigere unione distincta ab inhaerentia formæ, quia inhaerentia est accidens, & non potest pertinere ad constitutionem totius substantialis, sed hæc ratio non probat inhaerentiam non posse constituere hoc totum accidentale, verbi gratia, album, ergo nulla potest adhiberi ad probandum in his concretis accidentalibus dari unionem inter materiam & formam, distinctam à dependentia, quam habet forma à materiã, scilicet albedo à ligno albo.

26 Rationem suprã dictam non probare dandam esse hanc unionem distinctam à dependentia formæ in concretis accidentalibus, apertè conuincitur: venio ad aliam, quæ nonnulli probant dependentiam à subiecto non esse unionem inter terminum dependentem, & subiectum, à quo dependet, quæ si alicuius est roboris æquè premit in compositis substantialibus, & accidentalibus. Unio inter materiam, & formam hominis dependet à subiecto mediã inhesionem, & non illi vnitur per hanc inhesionem, seu dependentiam: ergo dependentia seu inhaesio non est unio inter extremum dependens, & subiectum, à quo dependet, neque illa constituit unita. Primam partem antecedentis, scilicet unionem hominis dependere mediã inhesionem à subiecto, fert communis sententia. Secunda probatur: unio essentialiter per se ipsam vnitur materiæ, & formæ, & est vnendi ratio, quæ non potest vniri medio alio: ergo unioeducta ex subiecto, quod vnitur, nõ illi vnitur mediã inhaerentia: ergo inhaerentia non est unio inter subiectum, & terminum inhaerentem, seu dependentem. Hæc ratio æquè probat de omnibus inhaerentiis, seu dependentiis

24
25
26
a causa materiali, cum ex vi omnium æquè terminus constituitur dependens à subiecto, illi inhærens, & inseparabilis, neque aliquid potest cum fundamento excogitari in alia inhærentia, propter quod rationem habeat vnionis, quæ careat inhærentia, mediâ quâ vnio hominis dependet à subiecto. Posset quis respondere vnionem inter materiam, & formam per se ipsam esse vnitam extremis substantialiter, & simul esse vnitam alteri extremo verbi gratiâ, materiæ mediâ vnione superadditâ accidentaliter, sicuti integralis vnio per se ipsam est vnita extremis, & mediâ vnione superaddita subiecto. Hoc exemplum rem explicat, non probat; quia vnio integralis per se ipsam vnitam extremis non illis vnitur mediâ vnione superaddita, sed alijs subiecto à quo separari potest; vnio verò essentialis inter materiam, & formam hominis, si materiæ vnitur mediâ inhærentiâ, vnitur medio alio, & eidem extremo, cui vnitur immediatè, & per se, quod videtur repugnantiam inuoluerè, sicuti repugnat dicere actionem per se ipsam immediatè dependentem à principio effectiui, ab eodem mediâ alia actione dependere.

26
27
28
29
30
Fateor exemplum rem non probare, verumtamen illo secluso, cur dici non poterit vnionem inter materiam & formam hominis per se ipsam vniri substantialiter materiæ per modum nexus, seu, *ut quo*, & mediâ inhærentiâ superadditâ vniri eidem materiæ accidentaliter, & per modum extremi, quod *ut quod*? Neque exemplum de actione adductum quidquam probat, actio enim per se dependens ab hoc principio, non solum non potest dependere mediâ alia actione ab hoc actiui principio, verum neque ab alio, quod si ab alio principio potest dependere mediâ alia actione; & simul per se ipsam ab hoc, poterit bis ab eo dependere, per se ipsam, & mediâ actione; vnionem verò per se ipsam his extremis certum est mediâ vnione superadditâ posse alijs vniri, ut patet in vnione integrali respectu subiecti: ergo diuersa est ratio de vnione per se ipsam immediatè extrema respiciente, & de actione respiciente principium. Ratio diuersitatis pro actione, & pro alijs modis respectu vnionis posset ita assignari. Actioni per se ipsam immediatè dependenti semper esset superflua ex natura rei alia actio, quia independentem ab illa supponebatur per se ipsam extra causas, vnio verò etiam si per se ipsam sit vnita indiget inhærentiâ superadditâ, ut existat: si autem ipsa inhærentia in suis prædicatis intrinsecis habeat imbibitam rationem vnionis, vnio indigens inhærentiâ indigebit prædicatis intrinsecis illis, ac proinde indigebit vnione, si enim dependere à subiecto dicitur esse illi vnium, vnio, quæ petit à subiecto dependere mediâ inhærentiâ, petit illi esse vnitam mediâ inhærentiâ diuerso modo, quo est vnita immediatè, & per se præcisè tanquam extremo, à quo per suam entitatem non dependet tanquam à causa materiali, sed per aliam vnionem superadditam accidentalem. Propter hos diuersos modos vnionis posset dicere aliquis vnionem inter materiam, & formam hominis esse vnitam per se ipsam substantialiter, ut nexum extremo, à quo ex vi huius vnionis non dependet in genere causæ materialis, & mediâ inhærentiâ per modum extremi dependentis ab alio in genere causæ materialis mediâ hac vnione accidentali, seu mediâ inhærentiâ. Consequenter teneretur is dicere formas materiales substantiales eductas ex potentia materiæ, & illi vnitas mediâ vnione substantiali, habere duplicem vnionem ad materiam, quandam medio modo substantiali distincto ab educatione pertinente ad compositionem totius, mediâ quâ formâ vnitur materiæ tanquam extremo alteri coextremo absque vlla dependentiâ; alteram accidentalem non pertinentem ad constitutionem totius substantialis, mediâ quâ vnuntur materiæ, & forma non tantum, ut purè extrema, sed forma ut extremum dependens à materia, & materia ut extremum influens in formam mediâ vnione accidentali, seu inhærentiâ. Neque inconueniens esset asserere eandem formam cum eadem materia diuersas inire compositiones medijs diuersis modis; substantialem mediâ vnione substantiali, & accidentalem mediâ inhærentiâ, quæ est accidentalis vnio. Certum enim est adhuc in opinione, quæ dicit inhærentiam non esse vnionem ex forma substantiali materiæ inhærentem, seclusâ vnione aliquo modo fieri quoddam concretum, et si propriè non vnium, certè cum maiori connexionem, quam habeant alia tota per accidens, in quibus non deest aliqua ordinata

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

27
tio, sicut exercitus, & musicæ, & simul fieri aliud concretum substantiale propriissimè vnium vnione substantiali, ex qua totum per se substantiale resultat.

27
28
29
30
Alio modo posset responderi prædicto argumento, scilicet educationem terminatam ad extremum per se vnium subiecto, non esse vnionem inter subiectum, & extremum eductum, secus educationem termini non vniti per se ipsum subiecto, quia terminus per se ipsum vnitus subiecto, neque indiget aliâ vnione ad subiectum, neque illam potest terminare, ac proinde non vniri per educationem formaliter vnionem, quia non potest vnionem terminare; terminus verò, qui per se ipsum non vnitur subiecto, indiget vnione ut illi, vnatur, & illam potest terminare, ac proinde potest educi ex vi actionis, quæ formaliter sit educitio vnitiua, seu vnio educitiua. Non caret specie probabilis solutio, magis tamen priori adhareo, quia si educitio ex communi prædicato educationis, & dependentiæ termini à subiecto, non habet rationem vnionis, sine fundamento dicitur illam habere ex aliqua peculiari ratione talis dependentiæ, seu educationis.

28
29
30
Adhibui omnia fundamenta, quæ ad vnionem distinctam ab educatione formæ in concretis accidentalibus ponendam, & relegandam, sum assecutus, ex quibus non difficile cuique erit, partem, quam maluerit, eligere, ego propter communem sententiam propendeo in opinionem, quæ modum vnionis distinctum ab educatione constituit, licet opposita mihi valde probabilis visa sit.

29
30
De compositis accidentalibus, quorum forma est modus subiecti dicendum est, formas ipsas immediatè, & per se ipsas esse illis vnitas, quia implicat separari ab illis, & non tribuere suum effectum formalem subiecto, quod omni alio secluso constituant præsens, verbi gratia vel durans, si duratio modus est superadditus. Producentur hi modi sæpe mediâ actione superaddita, quâ à subiecto dependent, quapropter si quis defendat albedinem subiecto vniri mediâ inhærentiâ, iuxta dicta de vnione, dicere tehebitur, præsentiam habere duplicem vnionem ad subiectum, alteram inseparabilem per se ipsam, alteram separabilem mediâ passione; ni velit solutionem adductam num. 19. defendere, videlicet educationem terminatam ad rem, quæ per se ipsam subiecto vnitur non esse vnionem, secus educationem terminatam ad rem indigentem modo superaddito, ut subiecto vnatur. Idem, quod dixi de composito accidentali, cuius forma est modus, intellige de composito substantiali habentem similem formam modalem.

30
Ex suppositione quod vnio distinguatur ab educatione, in compositis etiam accidentalibus posset dubitari, an possit dari compositum cuius formæ educitio non distinguatur ab vnione. De compositis accidentalibus affirmatiuè respondeo; vix enim inuenitur ratio efficax ad probandum de facto non identificari educationem, & vnionem. De substantialibus si educitio distinguatur à forma substantiali, necessariò erit accidens propter rationem dictam n. 11. ac proinde neque de potentia Dei absoluta poterit pertinere ad constitutionem essentialem compositi substantialis, neque esse illius vnionem, quæ est de essentia compositi; si forma substantialis per se ipsam educatur ex subiecto nullo superaddito modo vnionis indigebit, ut illi vnatur iuxta dicta num. 27.

PUNCTUM II.

An modus vnionis sit simplex entitas.

§. I.

Doctorem placita, & difficultatis status.

1
Pater Hurtadus disput. 5. sectione 7. subsectione 2. asserit in composito substantiali duplicem dari modum vnionis, quemdam tenentem se ex parte materiæ, quam respicit ut subiectum, & formam ut terminum; alterum ex parte formæ, quam ut subiectum vnit, & materiam ut terminum. Communis ferè omnium Doctorem sententia, quam tenet Pater Suarez disputat. 14. Metaphysic. sect. 2. num. 13. Pater Valquez tom. 1. in 3. part. disputat. 9. num. 23. affirmat tantum dari modum quemdam vnionis,

P

vnionis,

vnionis, quo materia vnitur formæ, & forma materiæ per eandem indiuisibilitatem.

2 Sententia assignans, duplicem vnionis modum variis modis explicari potest. Primò potest dici requiri duplicem vnionis modum, quorum vnus sufficiens sit, vt vnatur materiam formæ, perfectè, & adequatè, non item formam materiæ, quæ de causa dandus est alius tenens se ex parte formæ, sicut in opinione, quæ distinguit relationem à termino, & fundamento, relatio similitudinis, quam fundat albedo *A* adequatè eam similem constituit albedini *B*, tamen vt albedo *B* sit similis albedini *A*, indiget alia similitudine, quia non constituitur similis per similitudinem albedinis *A*, cuius est terminus, & non subiectum. Alio modo, qui forsitan tantum verbis differt à præcedenti, potest duplex vnionis modus exponi, vnus ex parte materiæ, quæ eam vnatur vt subiectum, & formam vt terminum, & alterum ex parte formæ, quæ hanc vt subiectum vnatur, & materiam vt terminum. Hoc modo asserit Hurtadus requiri duplicem vnionem, quem dixi tantum differre verbis à priori, quia illum eodem exemplo relationis explicat, & probat. Quod si exemplum ad rem est, sicut relatio albedinis *A*, quæ respicit vt terminum albedinem *B*, constituit relatum albedinem *A*, & non albedinem *B*, ita vnio materiæ, quæ respicit formam vt terminum, constituit vnitam materiam, & non formam. Nec dici potest exempli paritatem in hoc non tenere, quia cum exemplum sit potissimum fundamentum, quo vitur Hurtadus ad constituendam duplicem vnionem; vniam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ, quas vult multiplicari à paritate relationum, si paritas vim aliquam specie tenus sit habitura, necessum est dici vnionem materiæ non constituere formaliter vnitam formam, quia si dicatur oppositum, disparitas reddidit in ipsa conclusione inter vnionem, & relationem, quia relatio huius albedinis non constituit aliam relatum, & ideo alia albedo relatione aliâ indiget, quâ formaliter relata constituitur. Si autem vnio extremum illud, quod vt terminum respicit, formaliter constituit vnitum, illud extremum aliâ vnione non indigebit, vt formaliter vnitum constituitur. Cum dicitur vnionem huius extremi, materiam verbi gratia, vnire tanquam terminum, vel in re, nihil dicitur vel disparitas relationis assignatur, quia formam esse vnitam tanquam terminum per vnionem inherenter materiam, vel importat formaliter esse vnitam, ita vt illud additum tanquam terminum, sit ratio contrahens, & non diminuens, vel non simpliciter esse vnitam, quia illud tanquam terminum, non est additum purè contrahens, sed diminuens. Si primum dicatur, clarè apparet disparitas inter relationem, & vnionem, quia relatio huius extremi non constituit relatum terminum, quem respicit, & ita non sufficit relatio ad illum terminata vt illum formaliter referat, & ideo addenda est illi alia relatio, ex vi cuius referatur, vnio verò constituit formaliter vnitum terminum, quem attingit, & ita non indiget aliâ vnione, vt formaliter constituatur terminus vnionis vnitus. Si secundum dicatur, est dicere vnionem materiam simpliciter vnire materiam formæ, & non formam materiæ, & nihil differt modus, quo Hurtadus duplicem vnionem assignat, ab illo quem primo loco retuli, quod nunquam Hurtadus verbis faceret, non enim audeat dicere ex vi vnionis materiæ formam non esse vnitam, sed tantum dicit non esse vnitam, vt subiectum, sed tantum vt terminum. Alio modo posset excogitari duplex vnio, non quia necessum sit vt vna se teneat ex parte materiæ, & alia ex parte formæ, sed quia siue vtraque se teneat ex parte materiæ, siue vtraque ex parte formæ, siue vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quolibet semper eodem modo vnatur materiam formæ, & formam materiæ inadequatè, & ideo indiget confortio alterius vnionis, vt annectat adequatè materiam, & formam inter se,

S. II.

Verâ sententia.

3 **S**IT PRIMA CONCLUSIO. Non est excogitabilis vnio, siue in materia, siue in forma constituitur, quæ diuerso modo vnatur materiam formæ, & formam materiæ, sed necessariò æquè strictè, & propriè vnatur materiam formæ, & formam materiæ, ita vt si in materia tantum

subiectetur, nihil materiæ accrescat in ratione vnitæ, quod non eodem prorsus modo formæ conueniat, in qua talis vnio non subiectatur, nec poterit dici materia specialiter vnita, vt subiectum, sed tantum eadem ratione, quâ forma, quæ tantum est vnionis terminus, ex vi illius vnitæ dicitur. Hæc conclusio est contra Hurtadum, & contra duos priores modos assignandi duplicem vnionis modum: pulchram illius rationem à priori desumptam accipe. Effectus formalis vnionis est constituere illud, quod vnatur, componens vnium compositum cum alia parte: ergo vnio, quam dicit se tenere ex parte materiæ constituit materiam componentem vnium cum formæ: ergo eadem formaliter constituit formam componentem vnium totum cum materia. Probo consequentiam: implicat adhuc mente ex parte obiecti præcindi hos conceptus: materia componens vnium cum forma, & forma componens vnium cum materia: ergo implicat ex parte obiecti præcindi effectum formalem quem præstat materiæ vnio in ordine ad formam, ab effectu, quem præstat formæ in ordine ad materiam. Conceptus præcindi non posse sic proba. Materia componens vnium cum forma ex parte obiecti nihil aliud est quàm vnium compositum ex materia, & forma: forma componens vnium cum materia formaliter ex parte obiecti formaliter importat compositum ex forma, & materia: ergo hi conceptus materia componens vnium cum forma, & forma componens vnium cum materia, formaliter identificantur cum hoc tertio compositum ex materia & forma; ergo identificantur inter se: ergo vnio quæ pertinet ad constitutum horum conceptuum adhuc formaliter non distinguitur. Neque potes dicere conceptus hos distingui, quia dicunt diuersas entitates in recto, etiam si dicant easdem, si computentur illæ, quas dicunt in recto, & in obliquo, non habita ratione diuersi modi, quo hæc in recto, illæ in obliquo dicuntur, quia ego argumentor de conceptu obiectiuo quatenus distincto à formali, quo significatur, in quo non est rectum, neque obliquum, quod tantum extrinsecè conuenit obiecto ex diuerso modo, quo significatur, & intrinsecè, & in se semper est idem obiectum significatum; ergo si conceptus isti materia componens vnium cum forma, & forma componens vnium cum materia, & compositum ex materia & forma tantum differunt ex eo, quod vnus significat in recto, quod alius in obliquo, & conueniunt in omnibus obiectis significatis præcindendo à diuerso modo obliqui & recti, quo significatur, non distinguuntur ex parte obiecti, sed tantum ex parte cognitionis, quâ diuerso modo cognoscuntur, quæ nullam distinctionem realem importat in obiectis cognitis.

4 Dices conceptum hunc, materia componens vnium cum forma, dicere vnionem subiectatam in materia, & conceptum istum, forma componens vnium cum materia, dicere vnionem subiectatam in forma, & alium conceptum, vnium compositum ex materia & forma, dicere duplicem vnionem vnari subiectatam in materia, & alteram in forma. Sic dicendum existimo in doctrina Hurtadi asserentis vnionem materiæ illam vnire tanquam subiectum, & formam vt terminum; sed hanc solutionem, & Hurtadi doctrinam sic euerto. Demus vnionem creati, quod fieri posse concedit Hurtadus disputatione 12. sect. 5. tunc illa vnio nullum haberet subiectum inhesionis, quia non fieret per passionem, & constitueret idem compositum, verbi gratia, eundem hominem, quia actio, & passio non pertinent ad constitutionem hominis, neque alicuius substantialis compositi, quæ omnia concedit Hurtadus sectione citatâ, & expressè affirmat §. 97. creatâ vnione extrema perficienda esse per eandem vnionem, quæ per se ipsam, & non per inhesionem est illorum perfectio, & hominem compositum per vnionem creatam essentialiter fore eundem. Ex quo manifestè infero hominem compositum ex materia, & forma non dicere formaliter neque identicè vnionem receptam in materia, aut forma, sed tantum accidentaliter tanquam quid non pertinens ad illius constitutionem dicere vnionem receptam in illo extremo, in quo de facto recipitur, & eodem modo totum compositum idem omnino intrinsecè inuariatum permanfurum, si in altero, vel etiam in neutro reciperetur, ergo de ratione huius conceptus, homo compositus ex materia & forma, non est receptio vnionis in aliqua parte illius: ergo neque de ratione horum materia componens vnium cum forma, & forma componens

componentium unum cum materia, quia nihil possunt hi conceptus includere, quod in illo priori non includatur.

5 Efficacissimè eundem dicendi modum iterum reiicio. Do unionem subiectari in materia: materia quatenus unita formæ non dicit illam receptionem unionis: ergo materia quatenus unita formæ non dicit unionem recipi in ipsa materia. Consequentia est evidens. Antecedens probatur: Materia quatenus unita formæ dicit unionem immediate per se ipsam efficientem ipsam materiam, & tanquam modum inseparabilem ab ipsa materia, sed unio non respicit immediate materiam, neque tanquam modus illius, mediâ inhesionis, sed per se ipsam, ergo unio ut modus est materia, non respicit illam tanquam subiectum inhesionis, quia ab illa tanquam, à subiecto inhesionis potest separari, ergo non illam unit quatenus est subiectum inhesionis illius. Patet consequentia, unio unit materiam quatenus est illius modus, & quatenus est inseparabilis ab illa, & quatenus per se ipsam illam attingit, sed non est modus materia: ut subiecti inhesionis, neque est inseparabilis ab illa tanquam à subiecto inhesionis, quia potest creari unio, & tunc separabitur à materia tanquam à subiecto inhesionis, neque per se ipsam unio attingit materiam tanquam inhesionis subiectum, quia inter unionem, & materiam formaliter, ut subiectum mediat inhesio distincta ab unione, & materia: ergo unio non unit materiam quatenus est illius subiectum inhesionis: ergo ex hoc capite non magis, neque diverso modo unit materiam, quam formam, quia inhesio superaddita unioni omnino impertinens est, ut vniat, cum unio non per inhesionem, sed præcisè per suammet entitatem formaliter, & adæquatè vniat: ergo ex eo quod unio inhereat materiæ & non formæ non unit diverso modo materiam, ac formam: ergo non est constituenda diuersa unio ex parte formæ, ex eo quod unio se tenens ex parte materiæ inhereat materiæ, & non formæ.

6 In confirmationem eiusdem sententiæ argumentum desumitur ex unione Verbi ad naturam humanam, quæ tantum naturæ inheret, & unit formaliter utrumque extremum, naturam videlicet & Verbum. Respondet Hurtado. ex vi huius unionis vniat Verbum non tanquam subiectum, sed tanquam terminum. Solutionem hanc abundè impugnati n. s. ubi probauimus unionem non vniat extremum, cui inheret, quatenus illius est subiectum, sed tantum immediate quatenus est modus illius subiecti, & illud respicit ut extremum immediate vniendum, quomodo illud respiciet, siue in illo subiectetur, siue non subiectetur, unio enim unit omne extremum quatenus extremum, & terminum illius, & nullum tanquam subiectum, licet vniat extremum illud, in quo subiectatur, quia non illud unit quatenus in illo subiectatur mediâ passionis, sed quatenus illud immediate per se respicit tanquam extremum & terminum unionis. Ex quo inferes unionem subiectatam in natura, æquè respicere Verbum & ipsam naturam tanquam terminos, licet insuper naturam tanquam subiectum respiciat, ex vi cuius illam non unit. Respondet secundo naturam non esse perfectionem Verbi, ac proinde non requirere unionem in Verbo, quia non vniat illi tanquam extremo perfectibili, partes vero essentielles vnâ esse perfectionem alterius, & hac ratione duplicem unionem requirere. Præcludam hoc effugium num. 10. ubi explicabo quomodo partes essentielles se mutuò perficiant.

7 Alium dicendi modum videlicet requiri duplicem unionem, siue vtraque sit ex parte materiæ, siue ex parte formæ, vel vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quia vna sufficiens non est, ut vniat adæquatè extrema, & ideo aliam eiusdem rationis necessariam esse, ut vtraque simul constituat extrema vnita, quæ altera tantum vnire non potuit. Nullus huiusque somniauit hunc dicendi modum, ideo solidè reiiciendum, quia nullo nititur fundamento, eadem enim ratio posset quis dicere requiri duplicem potentiam visum, ut animam constituit potentem videre, quia vna sufficiens non est, ut adæquatè hunc præstet effectum, & similiter duplicem quantitatem, ut subiectum extendatur, quia simplex quantitas non est potens adæquatè subiectum extendere.

8 Ex his constat materializationem & informationem eandem esse simplicem entitatem indissolubilem, sicut actio & passio, quia informatio nihil aliud est, quam unio formæ ad materiam, mediâ quâ forma exercet munus

Franc. de Ouidio, Philosoph. Tom. I.

partis formalis componentis, in ordine ad quam unio, informatio dicitur, materializatio verò est unio materiæ ad formam mediâ quâ, materia exercet munus partis materialis actu componentis compositum, in ordine ad quam materializatio dicitur eadem unio, quæ in ordine ad formam informatio denominatur.

§. III.

Satisfit Hurtado.

9 Argumentatur Hurtado ad probandum dandam esse duplicem unionem. Modus unionis debet recipi in materia, & in forma: sed idem modus unionis non potest recipi in materia, & in forma: ergo duplex est assignandus. Maiorem probat: forma, ut vnita, est perfectio materiæ: ergo ut vnita debet recipi in materia: ergo modus unionis debet recipi in materia. Vrgit Hurtado in forma hominis, quæ secundum se non potest recipi in materia: ergo debet recipi ut vnita: ergo debet recipi illius unio in materia. Similiter materia ut vnita est perfectio formæ: ergo forma debet recipere materiam ut vnitam: ergo debet recipere illius unionem, non enim alio modo materiam, ut vnitam forma potest recipere nisi recipiendo unionem: formam esse perfectionem materiæ, & materiam esse perfectionem formæ probat Hurtado ex eo, quod vtraque sit entitas incompleta complenda, & perficienda per aliam. Minorem probat, quia idem modus unionis non potest subiectari in materia, & in forma hominis, quia si materialis sit, non poterit subiectari in forma spirituali, & si spiritualis, non poterit in materia corporea recipi.

10 Fatetur Hurtado num. 130. hoc argumentum efficax non esse ad probandum duplicem unionis modum in aliis compositis præter hominem, videamus an fateri debeat adhuc in homine esse prorsus inefficax. In primis nescio quomodo hæc componat Hurt. cum doctrina, quam tradit disp. 12. sect. 5. citatâ, ubi docet unionem posse creari, & inquiri an extrema eo casu perficerentur per unionem creatam: Huic difficultati respondet §. 97. citato. Respondet eo eâ perfectum iri unione, quia hæc per se ipsam est vtriusque partis perfectio, &c. ergo ad hoc ut materia perficiatur per formam mediâ unione necessum non est ex mente ipsius Hurtadi unionem in ipsa recipi, quandoquidem per unionem creatam perficeretur, quia unio per se ipsam est perfectio vtriusque partis. Venio ad alia. Sunt multi, qui affirmant accidentia materialia subiectari in toto composito, etiam in homine, & unionem materialem in eodem posse recipi in toto composito, & inadæquatè in anima, de quo Puncto frequenti, in quorum sententia neganda est minor prioris syllogismi ab Hurtado confecti, de qua erit tota argumenti contentio. Quia tamen incerta res est, an eadem entitas possit subiectari in subiecto materiali, & spirituali, de qua modò cum Hurtado contendere nolo, alio modo radicitus argumento nervos præcido. Nego maiorem, videlicet unionem recipiendam esse in materia, & forma. Ad confirmationem respondeo materiam perfici per formam, & formam per materiam, non secundum suas entitates intrinsecas, sed in ordine ad totum, in quo vtraque perficitur, non in se ipsis, quia in se semper remanent entitates inadæquate, sed in toto, & ita necessum non est, ut se inuicem perficiant, ut mutuò se recipiant, sed ut vniantur, & communicent in eodem toto, in quo absque vlla receptione mutuò perficiuntur iuxta dicta Cont. 2. Punct. 3. §. 3.

11 Argumentatur secundo Hurt. Si relatio similitudinis distingueretur à fundamento, & termino, relatio fundamente inherens, non sufficeret, ut terminum constitueret similem: sed necessaria esset alia relatio, ex parte termini: ergo datâ unione superadditâ inter materiam & formam, duplex danda est, quædam ex parte materiæ, & altera ex parte formæ. Parco arguendi modo; possem enim dicere ex vi huius suppositionis intrinsecè per modum quendam superfluum, quia eo ipso quod ponatur fundamentum, & terminus per suas entitates formaliter relata constituuntur, ac proinde si supponitur modus alius in aliquo extremo, supponitur entitas quædam superflua in rerum natura, quæ pari iure, vel potius non impari iniuriâ debet poni in vno extremo, ac in alio, cum neutrum, neque determinatè, neque indeterminatè illum exigit, neque aliquod illo, um melius ius habeat, ut talem modum

P 2 tanquam

tanquam sibi necessarium exposcat, neque tanquam sibi superfluum respiciat. Neque volo ex Arriagæ doctrina respondere modum unionis posse eundem in materia, & forma subiectari, relationem verò non posse utrumque extremum per modum vnius subiecti indiuisibilis respicere, & ita necessariam esse duplicem relationem, ut in utroque extremo relatio subiectetur relatio, non tamen necessariam esse duplicem unionem, ut utrumque extremum uniendum sit subiectum unionis; quia in utroque tanquam in subiecto adequato, & illorum quocumque tanquam in subiecto inadequato potest eadem indiuisibilis unio subiectari. Quod si solutionem hanc velis impugnare ex doctrina eiusdem Hurtadi asserentis non posse eundem modum unionis subiectari in materia, & in forma, memineris quæso ipsum Hurtadum dixisse §. 130. ex hoc capite tantum in homine posse duplicem unionis modum propagari.

12 Alias rationes adducit Hurtado ad probandum dādam esse duplicem relationem in duplici extremo, quibus ipse sibi respondisse poterat: asserit §. 143. relationem in causa & in effectu esse diuersæ rationis, ut pater in paternitate, & in filiatione, ac proinde non posse per eandem relationem referri Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem. Admitto hanc doctrinam & ex illa Hurtado respondeo, relationes multiplicandas esse in causa, & effectu propter hanc rationem, quæ non inuenitur in extremis ut vnitatis, in quibus unio eiusdem rationis esse potest, ac proinde necessum non est excogitare diuersas uniones, ut diuerso modo referentur causa & effectus. Si dicas in extremis relatis relatione similitudinis hanc non inueniri rationem, dicam in his relationes multiplicandas esse, quia extrema similia sepe sunt loco distita, & eadem relatio non potest constitui in duplici loco, neque extremum distans constituere relatum. Instat Hurtadus esse aliqua extrema relata, quæ non possunt loco distare, quod probat ex potentia vitali, & illius actibus in quibus est mutua relatio, & separari non possunt. De relationibus cause ad effectum, & effectus ad causam, quæ in potentia & actibus reperiuntur, rationem aliam nuper dederam, ex ipso Hurtado desumptam. Verumtamen quia in opinione, quæ relationes has admittit, hæc eadem extrema relatione diuersitatis referuntur, assero posse extrema relata relatione eiusdem rationis, quæ dici solet relatio æquiparantiæ, referri vnā eademque relatione. Contra hunc dicendi modum nimis ardens insurgit Hurtadus; asserit, duplicem relationem absque fundamento non esse denegādam ex eo solum, quod nulla ratio vigeat ad has relationes multiplicandas. & ab omnium sensu non esse puerilem in modum discendum, sed cum fundamento adeo præfente, ut omnes opprimat. Rogo Hurtadum, quo fundamento relationes omnes superadditas neget contra omnes Doctores, qui illas defendunt? Hoc certe omnium præcipuum est, absque his relationibus superadditis præcisè ex eo quod supponantur fundamentum, & terminus, utrumque intelligitur relatum: ergo otiose ponitur illa relatio: ergo ponēda non est. Sic arguit Hurtadus disput. 15. Metaphysic. sect. 2. §. 14. & 15. Sicque argumentantur doctissimi viri, quo fundamento doctè & maturè satis discunt ab authoribus, qui relationes superadditas admittunt: ergo qui eādem formā arguendi seruata duplicem relationem in his extremis, quæ separari nequeunt, negarent, sic arguentes: posita simplici relatione utrumque extremum intelligitur relatum: ergo superfluit secunda relatio: ergo ponenda non est; non discederet puerilem in modum, ab his qui duplicem relationem concedunt, sed eādem ratione, quā ipse Hurtadus ab eiusdem Doctoribus magis discedit, dum eodem fundamento, quo illi multiplicatam relationum simplici quadam relatione admittit negat, omnem relationem superadditam euellit.

13 Rationem aliam disparitatis inuenio apud eundem Hurtadum, ut illius hypothetico argumento satisfaciam: Ait Hurtadus §. 143. ad causam referri effectum esse omnino independens à relatione cause ad effectum, quia creatura refertur ad Creaturam, & Creator non refertur ad creaturam. Ex qua doctrina respondeo ex conceptu vnius extremi relationis non esse alterum extremum esse relatum, quia possunt separari, & ideo non sufficit relatio, quā constituitur hoc extremum relatum, ut illud formaliter referatur: de conceptu verò vnius extremi uniti est alterum extremum esse unitum, & de potentia Dei abso-

luta non potest materia esse unita formæ, quin forma sit unita materie, neque ex parte obiecti præcindi possunt hi conceptus: *materia est unita formæ, & forma est unita materie*. Hac de causa multiplicanda non est unio in extremis unitis, cum illud unitum maneat ex vi formæ, quā hoc illi unitur; secus in relationibus quorum vnum extremum relatum non est, ex eo quod aliud ad illud refertur. Dices, neque mente præcindi posse albedinem *A* esse similem albedini *B*, & albedinem *B* esse similem albedini *A*, neque Petrum esse eundem relatione identitatis cum Ioanne, & Ioannē habere eandem identitatem relatiuam cum Petro. Neque Antonium esse diuersum ab equo Bucephalo, & equum Bucephalum esse diuersum ab Antonio: ergo eadem est ratio de relatione & unione. Hæc obiectio impugnatur multiplicatam relationum, non simplicitatem unionis; si enim præcindi nequeunt hi conceptus, Antonius est diuersus à Bucephalo; & Bucephalus est diuersus ab Antonio, sequitur per eandem relationem constitui utrumque diuersum. Consequentiam non negant Patroni harum relationum, sed consequens, & antecedens neque in illorum opinione potest admitti, cum ipsi asserant hominem diuersum esse à Deo relatione diuersitatis, & Deum similem relationem non habere, & asserant Antonium esse diuersum à Bucephalo per relationem quandam ex vi cuius formaliter Bucephalus non est diuersus ab Antonio, sed aliā indiget relatione, ut diuersus constituatur. Quæ omnia ego falsa esse iudico, & ideo assero has omnes relationes superadditas esse auferendas, & utrumque extremum per eandem relationem referri ab utroque simul sumpto realiter, & formaliter ex parte obiecti indistinctam. Neque à me petendum est ut argumenta solam, quibus vtor ad has relationes superadditas expungendas, sed si ex suppositione opinionis, quæ relationes superadditas admittit, fiat argumentum ad unionum multiplicatam probandam, inconcussa esse debent omnia principia per locum intrinsecum connexa cum conclusione has relationes superadditas statuente, illique suppositis argumentum procedere, & ideo supponendum est conceptum diuersum dicere albedinem *A* esse similem albedini *B*, & albedinem *B* similem esse albedini *A*, & sic de aliis relatiuis.

14 Vltimò respondeo relationem non referre terminum purè terminum ad suum subiectum, quia respicit terminum tanquam quid extrinsecum; unionem verò terminum vnire, quā illum tanquam intrinsecum terminum attingit.

§. IV.

Incidens difficultas explicatur de natura intrinseci.

15 Ex solutione supra data alia quæstio suboritur quid sit intrinsecum respectu alterius, quare vnio utriusque terminum intrinseca sit dicenda, & relatio tantum fundamento intrinseca dicatur, & termino extrinseca? quare actio extrinseca sit agenti & intrinseca termino? Hurtadus disput. 5. citata §. 45. terminum intrinsecum definit: *Terminus intrinsecus est ille ad quem aliqua res refertur, quæ illi non est extrinseca, & quæ ab illo non dependet in genere cause materialis, neque aliunde extrinsecæ*. Hanc definitionem rectè impugnatur Arriaga disput. 4. sect. 3. subsect. 3. quia licet aliqua rectè per negationem definiatur, res positiua nunquam definienda est per negationem suæ negationis: extrinsecum autem est negatio intrinseci: ergo dicere non extrinsecum, est idem ac dicere intrinsecum, magis obsecrè & inuolucè, sicut si quis definiret lucidum, quod est non tenebrosus. Deinde etiam si extrinsecum non diceret formaliter negationem intrinseci, certè æquè ignotum est quid sit extrinsecum, & quid intrinsecum, ac proinde definitio non est bona, siquidem definitum per æquè ignotum, & non per aliquid notius illo explicat. Arriaga supra num. 11. terminum intrinsecum definit: *Terminus intrinsecus est, qui unitur, & non extrinsecè cum alio neque in genere cause materialis, aut formalis*. Peccat Arriaga in quo Hurtadum reprehenderat, idem enim est terminum intrinsecum definire per non extrinsecè, & per non extrinsecum, æquè enim est uterque terminus ignotus, & eandem formalitatem, licet diuerso modo significatā, importat. Deinde terminus actionis, quem dicit Arriaga intrinsecum esse non unitur actioni, sed tantum actio connexionem habet cum illo, si ne quo esse nequit, & huic similem connexionem habet cum principio effectiuo, cui eadem actio extrinseca dicitur. Eandem

Eadem pariter impugnatio alia definitio, quam refert Hurtad. §. 86. scilicet, *terminus intrinsecus est qui cum re quam terminat in compositionem intrinsecam*. Hæc definitio clarius alius definitum in definitione adhibuit.

16 Alij dicunt terminum intrinsecum esse illum, qui est intime præsens viæ, seu respectu cuius est terminus. Posset impugnari hæc definitio, quia Deus est necessario intime præsens actioni create, quæ illi est extrinseca. Respondeo Deum esse intime præsentem actioni, non præcisè, quia ab illo oritur actio, ex hoc enim capite sufficeret illi esse immediatum, sed quia immensus est, & intime præsens actioni ab illo immediatè orta, sicut omni termino ab ipso producto, & sicut esset præsens cuilibet entitati existenti in rerum natura, etiam si per impossibile fingeretur ab illo independens. Secundo obicitur contra hanc definitionem: relatio diuersitatis, quam dicit vno ad materiam, quam respicit vt terminum extrinsecum, in opinione, quæ has relationes agnoscit, & necessariò est intime præsens materiæ. Respondeo materiam non petere esse intime præsentem relationi diuersitatis quam habet vno ad illam vt terminet hanc relationem, neque relationem immediatè petere materiam approximatum, vt in illam tendat, sed tantum relationem exigere intimam præsentiam cum vno, in qua subiectatur, & quia vno petit esse intime præsentem materiæ, tunc est, quod relatio non immediatè neque ratione sui, sed mediatè, & ratione subiecti petat intimam præsentiam cum termino, tendentia autem intrinseca non mediatè tantum, & ratione alijs, sed immediatè, & ratione sui exigit intimam præsentiam cum termino. Fortius existimo hanc opinionem impugnari ex vnione integrali, quæ intrinseca est vtrique termino, cui non est intime præsens, in communi enim sententia indiuisibile vnium duarum partium quantitatis alteri tantum est intime præsens, & in mea sententia quam explicio Controuerf. 17. neutri est intime præsens, & tamen vtrique intrinsecum est.

17 Illa ego inter se mutuò intrinseca vocarem, quæ pertinent ad constitutionem vnus per se, vnum per se voco, quod distinguitur à toto morali, seu ab aggregato, quod nullà vnione physica necitur, quod totum se extendit ad totum integrale, & essentialè, ad totum substantialem & accidentale. Secundum hanc definitionem vno inter materiam & formam accidentalem, & substantialem, & inter quæcumque partes integrantes per se ipsam intrinseca est extremis, quia per se ipsam pertinet simul cum illis ad constitutionem vnus per se. Materia, & forma, accidentia physica, & subiectum illorum, partes integrantes inter se mutuò sunt sibi intrinseca, quando actu sunt vnita per vnionem superadditam, ratione cuius pertinent ad constitutionem vnus per se, non per suas entitates, quia seclusa vnione materia est valde extrinseca formæ, & forma materiæ, & pars integralis alteri comparti, sicuti modò anima separata extrinseca est cuiusque materiæ, & substantia aquæ alteri aquæ, cui potest integraliter vniri. Secundum hanc definitionem relatio prædicamentalis intrinseca est subiecto cui vnitur, & cum quo constituit vnum per se accidentale, non termino, cum quo nullum totum per se constituit. Similiter actio extrinseca est agenti, & passio intrinseca subiecto, & principio operanti immanenter quatenus subiecto illius, cum quo constituit vnum per se accidentale, quod non constituit cum principio transeunter operante. Vnum in hac definitione difficile est, videlicet secundum illam terminum productum non dicendum esse intrinsecum actioni ex vi cuius producitur, quia nullum totum per se cum illa constituit, neque aliquam cum eo vnit compositionem. Arriaga suprà dicit ex actione, & termino producto fieri vnum, sed ego non calleo hanc vnionem inter actionem & terminum, neque rationem aliquam inuenio, propter quam actio cum termino, & non cum principio vnionem habeat, quia ab vtroque distinguitur, in neutro recipitur tanquam in subiecto, à termino tantum à posteriori, & à principio à priori dependet: ergo non est maior ratio cur dicatur actio vnita termino, potius quam principio: fateor rationem exigere intimam præsentiam cum termino, & non cum principio, sed ex hoc capite intrinseca tantum localiter dici poterit, non enim ex illo ratio intrinseci aut extrinseci desumenda est, vt probauit n. 16.

18 Caterum sicuti nullam rationem inuenio, propter quam dicenda sit actio constituens vnum cum termino, ita nullam agnosco, propter quam dici debeat illi intrinseca, &

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ideo æquè extrinsecam dicendam esse cenfeo termino, & principio, ab vtroque enim æquè distinguitur, & neutri horum vnitur: quod si vulgo actio intrinseca termino dicatur, ideo est, quia si aliquid subiectum habet, idem est vtrique commune, & quia intime penetrantur, ex quo aliqua ratio intrinseci improprie, & tantum in ordine ad totum, non verò proprie, & strictè desumi potest. Ex alio capite fundamentum aliquid desumitur, vt vulgo actio intrinseca termino dicatur, & non principio effectiuo, quia principium effectiuum non indiget ad suam existentiam actione, quæ ab illo fluit, terminus verò subsistere nequit sine aliqua actione, quam terminat, sed hoc proprie non est actionem esse intrinsecam termino, sed terminum intrinsecè, & per suam entitatem actione indigere. Neque ex eo quod dicamus actionem non esse intrinsecam termino contra communem Doctorem sententiam sentimus, qui actionem termino intrinsecam appellant, quia Doctores de hac re non ex professo disputarunt, neque distinxerunt inter illa, quæ proprie, & improprie alijs intrinseca dicebantur, & ideo in re parui momenti vulgo indulsere, qui actionem absolutè termino intrinsecam vocauit. Si autem velis defendere actionem intrinsecam dicendam esse termino, rationem intrinsecè sic defini: Intrinsecum alicui est illud, per quod formaliter constituitur productum, vel cum quo componit vnum per se. Si enim semel statuamus entitates definitione amplectendas, postea non difficile erit illis opportunam definitionem accommodari; hanc actioni competere respectu termini certum est, quia ex vi actionis terminus formaliter productus constituitur, conuenit etiam alijs entitatibus, quas intrinsecas dicimus, vt explicatum est n. 16. Neque vitio dandum est huic definitioni per disunctionem tradi, ratione cuius non vna pro omnibus definitis, sed duplex reddetur definitio accommodè inter illa distribuenda, hoc enim tantum est reprehendendum, cum omnia definita possunt per eundem conceptum explicari, sunt tamen plura, quorum quidditas non potest per simplicem exprimi conceptum, quæ et si non ita bene ac si per simplicem conceptum definirentur, aptè tamen, dum ille nobis non suppetit, per duplicem conceptum describuntur.

PUNCTUM III.

In quo extremo subiectetur vno.

1 DIXI vnionem per se, & immediatè vtrumque extremorum connectere independentè ab inhæione, & æquè vnire illud, quod tantum immediatè per se ipsam vt terminum, respicit, ac alterum, quod non tantum respicit, per se ipsam vt terminum, sed etiam medià inhæione vt subiectum. Inquiri modò quod subiectum afficiat medià inhæione vno per se ipsam annexens materiam & formam. P. Valquez tom. 1. in 3. partem disput. 12. num. 23. asserit vnionem subiectari in forma, idem docere videtur P. Soar. de vnione compositi materialis disput. 13. sect. 9. num. 13. vbi docet vnionem inter materiam & formam potius se tenere ex parte materiæ, quam ex parte formæ, & materiam quoad suam entitatem tantum mutari ratione priuationis formæ, vel ratione formæ denuo aduenientis, non ratione modi vnionis. De vnione tamen inter materiam & formam hominis intercedente expressè docet disput. 15. sect. 3. in fine n. 9. educi non solum ex materia, aut ex forma solum, sed simul ex materia, & forma tanquam ex subiecto adæquato, & ex illa cum qualibet seorsim sumptâ, tanquam ex subiecto inadæquato. Item docet Arriaga disput. 4. sect. 4. subsect. 4. de omni vnione essentiali cuiuscumque compositi substantialis. Hurtadus qui tenet dari duplicem vnionem substantialem in composito docet disput. 5. sect. 5. vniam vnionem subiectari adæquatè in materia, & alteram in forma. P. Rub. lib. 1. physicorum lib. 4. n. 65. Noster Albertinus tom. 2. Cord. de prædic. subst. q. 5. docent modum vnionis in omnibus compositis essentialibus subiectari adæquatè in materia.

2 Nihil solidum in hac difficultate inuenio quod in aliquam partem animum affigat, vnus inter omnes dicendi modos displicet illorum, qui asserunt vnionem materialem subiectari in materia, & forma, quia nulla est ratio, quæ prohibeat illam in materia adæquatè recipi, neque quæ cogat eundem, neque inadæquatè in forma constituere, &

P 3

ideo

ideo absque necessitate, & sine fundamento dicitur rem materialem posse educi à subiecto spirituali adhuc inadæquato, quod impugnabo, dum de subiecto sensationum materialium hominis disputabo Contr. 3. de anima Punct. 1. §. 2. Quod si diceremus modum vnionis spiritualesse, in eandem, imò in maiorem difficultatem incideremus, dum ex subiecto materiali modum spiritualesse concederemus eductum.

3 Præmitto quod satis fusè explicui Puncto præcedenti, modum vnionis non necessariò subiectari in extremo, quod vnit, quia etiam si crearetur absque vilo subiecto, vtrumque vniret, quod immediatè, & per se præstat. Ex hoc infero, non esse necessariò in materia, & in forma constituendum, sed sufficienter constitui in harum altera. Ex hoc probabiliter coniector recipi in materia, & non in forma, hoc enim quod est recipere, proprius est materiæ, quæ est primum subiectum, cuius munus est recipere & materialiter causare, quàm formæ. Secundò: vnio producit ab agente naturali, à quo producit forma materialis, quæ non creatur: ergo ex eodem subiecto educit agens formam, & vnionem: sed forma materialis educitur ex potentia materiæ: ergo & vnio. Tertiò omnes dispositiones, quæ disponunt ad formam disponunt ad vnionem: ergo sicut forma & vnio habent commune subiectum dispositionum, ita habebunt comune proprium subiectum. Quartò: communis Philosophorum sententia tenet generationem subiectari in materia prima: sed generatio terminatur ad vnionem, vt probabo proprio loco, ergo vnio subiectatur in materia prima. Probo consequentiam: Actio & terminus actionis subiectantur in eodem subiecto: sed actio generatiua subiectatur in materia: ergo vnio, quæ est illius terminus. Video hæc fundamenta rem non demonstrare, sed videbis, quàm inefficacius rationes aliorum Doctorum oppositas suadeant sententias.

4 Obiicit Vasquez suprà: Forma est indifferens, vt sit per se separata à materia, vel in materia, si illam informet: ergo indiget aliquo in illa recepto ad hoc, vt constituitur in materia, & illis vnita. Concedo antecedens, & distinguo consequens; indiget alio modo recepto in ipsa forma, nego consequentiam: terminato ad formam, concedo consequentiam. Rem explicio: forma materialis duplicem indifferentiam habet respectu subiecti, quamdam vt ex illo educatur, vel vt existat independens ab illo tanquam à causa materiali, hæc indifferentia tollitur per creationem quæ forma constituitur independens à materia, vel per educationem, quæ constituitur dependens à materia, & illi inhærens, seu in illa recepta. Creatio, & educio formæ ad formam terminantur, educio respicit materiam tanquam principium passium, in quo per se ipsam recipitur. Creatio nullum principium passium habet, neque in aliquo recipitur. En hæc indifferentia formæ determinatur secundum vtrumque extremum, quin aliquem modum in se recipiat. Aliam indifferentiam habet forma materialis communem etiam animæ rationali, vt vnatur, vel non vnatur subiecto. Hæc determinatur per negationem vnionis terminatæ ad illam, vel per vnionem terminatam ad ipsam, & in materia receptam. Sicuti affirmat Vasquez indifferentiam materiæ, vt vnatur, vel non vnatur formæ determinari per negationem vnionis, vel per vnionem non receptam in materia: sed tantum in forma.

5 Obiicit Soar. Tota agentis vis eò tendit, vt educat formam ex materia: ergo consequenter vt ponat vnionem in forma. Consequentiam nego.

6 Obiicit Hurtado suprà §. 68. ad conceptum rei perficientis, quæ suum effectum formalem subiecto communicat, requiritur, vt ille effectus formalis sit communicabilis per motum, aut generationem receptam in ipso subiecto: ergo vt vnio tribuat suum effectum formalem formæ, & materiæ debet recipi in vtraque per motum, & generationem. Antecedens probat: Verbum est vnitum humanitati, & non perficitur per illam: ergo ad hoc, vt vnum extremum perficiatur non sufficit terminare vnionem inter vtrumque, sed requiritur virtus receptiua extremi, vt vniti per proprium motum, ex defectu cuius Verbum non perficitur per naturam humanam, & natura humana, quæ illius vnionem recipit per illud perficitur. Respondeo negando antecedens, quia vt Puncto præcedenti ex ipso Hurtado dicebam, vnio per se ipsam, perficit materiam, & formam. Ad confirmationem respondeo, non ideo Verbum non perfici per naturam, & naturam perfici per Verbum,

quia vnio Verbi recipitur in natura, & non in Verbo, quia si vnio hypostatica crearetur, & etiam si natura rationalis daretur incapax recipiendi in genere causæ materialis hypostaticam vnionem, quæ de facto illam terminaret, & per vnionem hypostaticam Verbo vniretur, per illud perficeretur, quod negare non audebit Hurtado: ergo perfici, vel non perfici per vnionem non ex eo est quod vnio recipiatur vel non recipiatur in materia. Dico Verbum non perfici per vnionem ad naturam, quia in se est infinitum, & hæc vnio, aut natura vnita non est complementum Verbi, neque aliquo modo illa indigebat Verbum, neque ad illam ordinabatur, neque talis vnio, aut terminus illius Verbum eleuat ad aliquam operationem, aut euoluit ad aliquem statum altioris ordinis, quem Verbum ex se non pertingeret, quæ propria sunt perfectionis, & formæ perficientis subiectum. Natura verò per hanc vnionem mille modis perficitur, in primis enim illa indiget natura vt subsistentia Verbi suppleat defectum propriæ; deinde effertur ad infinitam sanctitatem, & instituitur sancta eadem sanctitate, quæ Deus sanctus est, & constituitur pertinens ad hoc suppositum Christus Filius Dei naturalis. Denique innumeris modis expendunt Scriptura, & Patres quomodo Verbum exinanitum sit per hanc vnionem hypostaticam ad naturam humanam, & naturam humanam per eandem perfecit, & ad fastigium supremi honoris euexit. Quæ ergo perfectio accrescet ex vnione ad naturam humanam diuino Verbo, ex quo omnis perfectio, & in quo omnium perfectionum scaturigiorum quæ accresceret illi, si vnionem naturæ reciperet, cuius receptio non solum Verbo perfectionem non pareret, verum etiam imperfectionem crearet, & carentiam infinitæ perfectionis, quæ gaudet, argueret? Quæ perfectio ex hac vnione non naturæ superinnaturæ quæ mediâ illâ latices fontalis originis omnium perfectionum exhaurit.

Obiicit Arriaga: Cum sunt duo ignes applicati ad producendum calorem, vtrique debet applicari calor productus tanquam effectus: Sed materia, & forma sunt applicatæ ad recipiendam vnionem: ergo vtrique debet illius receptio applicanda est. Respondeo applicationem ad recipiendum, vel agendum supponere virtutem extremi applicati ad actionem, vel receptionem, ad quam applicatur, & ex hoc capite formam non esse applicatam ad recipiendam vnionem, quia non habet virtutem receptiuam respectu illius. Vnionem in compositis cuius forma est materialis, materialem esse, nullus ambigit. Item in homine eiusdem esse conditionis constat ex materia, in qua recipi probauimus, ex subiecto enim materiali modum spiritualesse educi melior Philosophia non admittit. De vnionis diuisibilitate dicam Controv. 1. de anima Puncto 6.

CONTROVERSIA V.

De toto substantiali.



G 1 de omnibus principiis, ex quibus totum conficitur, accedo modò ad totum, quod ex illis coalescit.

PUNCTUM I.

An totum distinguatur à suis partibus simul sumptis & vnitis.

SIVE totum præter materiam, & formam, & vnionem, I smodum alium includat, siue non, de quo Puncto immediatè venturo, eandem semper decisionem habet, eodemque modo tractanda est præfixa difficultas. Inquirat an totum distinguatur ab omnibus partibus, & modis, quos includit simul sumptis, siue includat tantum materiam, & formam, & vnionem, siue supra materiam, formam, & vnionem, modum alium includat. In opinione enim quam veram esse probo, nullum modum distinctum ab vnione supra materiam, & formam constitutentem, inquiratur an totum distinguatur realiter à materia, formâ, & vnione, & in opposita sententia modum illum addente, quaeritur, an totum distinguatur à materia, formâ